
UC-NRLF
$B 98 468

SOLLEMNIA NATALITIA

REGIS AUGUSTISSIMI ET SERENISSIMI

CHRISTIANI VIII

DIE XVIII MENSIS SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXLVII

AB ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA RITE CELEBRANDA

INDICUNT

RECTOR ET SENATUS

INEST COMMENTATIONIS DE ANTIQUISSIMA GERMANORUM POESI CHORICA PARTICULA

QUAM SCRIPSIT KAROLUS MUELLENHOFF P. P. E. O.

KILIAE

EX OFFICINA C. F. MOHR

MDCCCXLVII

Cultam enim esse aliquando inter Germanos veteres artem choricam ipsa lingua nostra docemur. Non quidem magni sunt momenti superiorum Germanorum vocabula illa gart, gartsang, gartleoth[1] et similia, quibus chorum significaverunt; et vix pluris faciam Anglosaxonum illud hluddrasang, i. e. chorus quippe qui alta voce canere soleat, unde etiam scalsang psalmus dicitur, Graff VI, 253. Sed est vox quaedam apud omnes nostras nationes usitatissima, quae totius artis choricae ambitum et universam ejus rationem et indolem accurate describit. Láiks enim apud Gothos chorum, leikr apud septemtrionales Germanos ludum et lusum, apud Anglosaxones vero lâc[2] non solum ludum, sed etiam sacrificium victimam et munus quodcunque, apud superiores denique Germanos rangleih ludum palaestricum et leih in universum cantandi modum, verum etiam singulare quoddam genus carminum significat, quae clerici latine modos appellaverunt; quorum quidem qui fuerit per medium aevum usus et quae ratio, quaerere hoc loco minime nostrum est, praesertim quum hac de re tot virorum doctissimorum curis satis videatur disputatum. Verbum autem derivatum láikan, leihhan cet. in omnibus linguae nostrae dialectis illudendi, in plurimis simul proprium ludendi sensum habet, excepta sola ut videtur gothica, qua graecum σκιρτᾶν láikan redditur. Jam vero si affines voces[3]: leik caro corpus, galeiks par similis, manleika effigies, galeikan placere, convenire conferimus, cum probabilitate aliqua primitivam voci imitandi simulandique notionem subesse suspicamur; cogitavit tamen Jac. Grimmius V. cl. l. l. de jungendi notione. Quod utrumque cum artis choricae ratione apte convenire quivis intelligit. Quamvis autem res videantur diversissimae, quae uno illo vocabulo eodemque per dialectos linguae nostrae indicantur, cadunt tamen omnes intra regiones ac fines poesis antiquissimae, quae in universum in hunc fere modum describi potest.

Mythi, quibus deorum vita resque gestae exhibentur, non solum omnium longe vetustissima, sed aliquando et unica ac sola ingenii poetici, simul vero etiam praecipua religionis documenta fuerunt. Jam et carmina, quae scimus esse vetustissima, ad unum omnia mythici sunt argumenti aut saltem sacri.

[1] Thiasos Bacchi Schlettst. gl. in Haupts zeitschrift f. d. a. V, 336.
[2] Cf. Jac. Grimmii myth. p. 35.
[3] Jac. Grimm. gramm. II, 16, n. 183.

Unde sequitur olim poesin ubique cum vetere populari religione arcte junctam esse; quin etiam, si paulo altius rimamur, dicendum est initio eam nusquam extra religionem cultumque sacrum versatam esse, sed semper ejus partem et quidem summam fuisse, ita ut non solum in supplicationibus festisque diebus publicis, verum etiam privatis et in unaquaque solenni actione locum haberet. Omnes mythi, qui a fabulis epicis caute distinguendi sunt, ad certas singulorum deorum religiones pertinent. Minime igitur cogitandum est eos ut inania quorundam commenta, ita quoque ab otiosis quibusdam hominibus circumferri et oblectationis causa narrari solitos esse; sed quot fuerunt mythi, tot etiam fuisse carmina utique necesse est; carmina vero haec sacra, id quod jam testimonia nostra probant, ex communi populorum usu non a rhapsodis recitata neque a singulis, sed semper a choro sive pluribus simul et cantata et acta sunt.

Antiquissima quae supersunt de Germanorum poesi testimonia huc spectant omnia. Pertinent autem inde ab anno 14 p. Ch. n., quum Germanicus cum Marsis bellum gereret (Tac. ann. I, 50), per totum saeculi primi decursum usque ad ejus finem sequentisque initium, quum Tacitus de Germania librum et annales scriberet; desiderantur tamen per saeculum alterum, rursus vero proveniunt bellorum cum Gothis et a Juliano imperatore circa Rhenum gestorum temporibus. Deinde quae huc referantur, rara quidem sed quae sufficiant, per tumultus temporum proximorum inveniuntur, dum doctrina christiana et ecclesia romana inter Germanorum nationes propagata et stabilita est. Jam inde a Bonifacii aetate per totum saeculum insequens episcoporum concilia regumque edicta „choros saecularium vel puellarum cantica“, „carmina denique et lusa diabolica turpia et luxuriosa“ tum ab ecclesiis sacrisque diebus prohibenda, tum clericis devotaeque multitudini vitanda esse iterum atque iterum jubent [1], ita ut facile intelligi possit et carmina illa chorica ipsa veteris religionis jam exstirpandae monumenta fuisse, quippe „quae de paganorum ritu remanserint“, et quanta tum temporis eorum fuerit copia. Quare nullus dubito, quin hoc tempore, nisi

[1] Locos plurimos neque tamen omnes collegerunt Wilhelmus Wackernagel (Wessobrunner gebet p. 25 sqq.) et Heinricus Hoffmann (deutsches kirchenlied p. 8 sqq.); quos fere exscripsit neque tamen quidquam addidit Massmannus (die deutschen abschwörungsformeln p. 11.) Alia vero et quidem gravissima de vetere poesi sacra testimonia invenies in Jacobi Grimmii libro de mythologia Germanorum. Quibus utar, sed addam quae ipse collegi; superest enim larga etiam messis.


clericorum invidia prohibuisset, inter majores nostros multo largior atque amplior ejusmodi carminum fieri potuerit collectio, quam cujus inter Islandicos Saemundus saeculo demum undecimo auctor fuisse fertur. Jam vero his eddicis carminibus potissimum utendum est tanquam exemplis quodammodo cognatis, quibus veterem nostrae poesis choricae imaginem illustremus. Neque tamen ejus vestigia plane interierunt inter nos, sed supersunt non pauca neque parvi aestimanda. Quid enim et quantum ex rusticorum nostrorum ritibus ac fabulis, ex puerulorum denique cantilenis et lusibus ad rem nostram utilitatis redundet, nemo non scit, qui libro illo praestantissimo Jacobi Grimmii de mythologia Germanorum unquam usus est.

Interea vero ne quis per illud octingentorum fere annorum spatium, quo floruisse inter Germanos poesin choricam scimus, eam solam atque unicam apud eos artem fuisse existimet, monendum est jam saeculo quarto vel quinto poesin epicam sive heroicam, qua „veterum actus et bella canerentur“, apud Gothos ut videtur ortam et deinde apud omnes fere Germanorum nationes excultam esse. Simul etiam scurrae mimique, qui et histriones a medii aevi scriptoribus dicuntur, (certe inde a saeculo octavo) veterem artem choricam propagare ac singulari quadam ratione exercere coeperunt. Quae omnia, quamvis satis diversa, quum a viris doctis ubique fere confundi deprehenderim, visum est, ut cujusque ratio et indoles rectius dignoscatur, paulo altius in rem inquirere primumque, quantum adhuc fieri possit, demonstrare quae fuerit artis choricae apud majores nostros ratio. Actionum autem choricarum triplex est genus: pompa, saltatio et ludus; quorum et simplicissimum est pompa et quasi primitivum. Quare ceteris omissis, quum totam rem absolvendi hic non sit locus, sola de pomparum apud veteres Germanos actione carminibusque in iis adhibitis disputandum esse duxi.

Singulare quoddam vocabulum, quo apud majores nostros pompa appellata sit, invenio nullum; etiam dubitari potest, quin chorus quum plerumque in deducenda pompa recta aut modice inflexa via procedere soleat, nomen illud zilsang acceperit, quod Graffius V. 659, VI. 253 affert Testimonia igitur quae exstant examinanda sunt.

Narrat Tacitus coluisse Germanos deorum maxime Mercurium, Herculem et Martem (= Wôdanum, Thunarem[1], Tivum) aliosque, ut ex ejus verbis colligi licet, praeterea deos deasque plurimas diversis nominibus diversa religione, quibus certis diebus certis quoque hostiis litabant intra nemora ipsorum deorum nominibus sacrata. Jam ex ipsius narrationis contextu hunc rerum ordinem fuisse sumamus puto, ut sacris demum rite peractis vel in ea peragendo, si publice aut privatim consultandum erat, ad explorandam numinis voluntatem sortibus uterentur. Quae etiam si ex voto ceciderunt, auspicia tamen adhuc observanda erant. Nam sane fieri potuit, ubi jam concilia ineunda erant, ut avis quaedam sinistra aut praetervolaret aut infaustam vocem ederet aut denique aliud quid malo omine accideret; tum certe nulla in eundem diem haberi potuit consultatio. Quae enim fortuito neque ullo humano instituto eveniebant et audiebantur aut conspiciebantur, voces ipsorum deorum ac divinitus edita supremae voluntatis indicia esse credebantur, quibus dubii nihil inerat; quae igitur nulla interpretatione indigebant, eo diligentius autem observanda et exspectanda erant. Quare illud quod deinde de equorum praesagiis apud Germanos observatis refert Tacitus, ita minime institui poterat, ut illi sacro currui jungerentur eo consilio ut tamdiu circumducerentur, dum hinnirent aut fremerent, neque concilium initum neque quidquam coeptum sit antea. Quid enim, si tacebant? Tacendo sane neque equi malum neque ululae bonum unquam ediderunt omen. Describitur igitur pompa aliqua, id quod unum restat, quomodo rem nobis informemus. Sumamus necesse est ipsis diebus festis, quum deorum sacra celebrarentur, sacros currus vectos equis illis candidis, qui iisdem, quae supra memoravit Tacitus, nemoribus ac lucis publice nullo mortali opere contacti alebantur, deductos esse comitantibus eos pompamque ducentibus sacerdote ac rege vel principe civitatis ac subsequente plebis agmine. Jam vero ubi forte equorum fremitus et hinnitus audiebatur, ii faustissimum facere auspicium videri poterant, quod et nobilissimum et sanctissimum omnium non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes haberetur. Etenim secundum ipsius Taciti verba in hac re potissimum de diis illis supremis, Mercurio, Hercule et Marte quasi auspicii auctoribus cogitandum est. Scimus ex alio annalium loco XIII, 57 Marti et Mercurio equos fuisse sacros;

[1] De hoc vide infra.


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

quum ipse (a. 488 p. Chr. n.) legationi Byzantio missae interesset, Attila Hunnorum rex ad vicum regium adveniens honoratus sit: εἰςιόντα ἀπήντων κόραι στοιχηδὸν προπορευόμεναι ὑπ᾽ ὀθόναις λεπταῖς τε καὶ λευκαῖς ἐπὶ πολὺ ἐς μῆκος παρατεινούσαις, ὥςτε ὑπὸ μιᾷ ἑκάστῃ ὀθόνῃ ἀνεχομένῃ ταῖς χερσὶ τῶν παρ᾽ ἑκάτερα γυναικῶν κόρας ἑπτὰ ἢ καὶ πλείους βαδίζουσας (ἦσαν δὲ πολλαὶ τοιαῦται τῶν γυναικῶν ὑπὸ ταῖς ὀθόναις τάξεις) ᾄδειν ᾄσματα Σκυθικά. πλησίον δὲ τῶν Ὀνηγησίου οἰκημάτων γενόμενον (δι᾽ αὐτῶν γὰρ ἡ ἐπὶ τὰ βασίλεια ἦγεν ὁδὸς) ὑπεξελθοῦσα ἡ τοῦ Ὀνηγησίου γαμετὴ μετὰ πλήθους θεραπόντων, τῶν μὲν ὄψα, τῶν δὲ οἶνον φερόντων (μεγίστη δὲ αὕτη παρὰ Σκύθαις ἐστὶ τιμή) ἠσπάζετό τε καὶ ἠξίου μεταλαβεῖν, ὧν αὐτῷ φιλοφρονουμένη ἐκόμισεν. ὃς δὲ ἐπιτηδείου ἀνδρὸς χαριζόμενος γαμετῇ ἤσθιεν cet; quod cum sacrificiis diis, ubi in vicum quendam venisse videbantur, oblatis conferas. Si vero reputemus ipsum Hunegisum, Edeconem, Berieum aliosque plurimos, qui apud Hunnorum regem summo erant loco, Gothos, tum etiam gothicam linguam teste Prisco p. 190. 206 in aula regia praeter hunnicam ac romanam usurpatam esse, Scythas denique a Prisco omnem populorum turbam Attilae subjectam appellari, jure aliquo carmina illa scythica fuisse gothica suspicari nobis videmur; quod tamen si minus placet, id certe dandum est artem, quam Hunni noverint, novisse etiam Gothos.

Alterum ejusmodi chori exemplum apud Otfridum monachum Wizunburgensem invenitur, qui Christum hoc modo Hierosolyma ingredientem fecit, IV, 4, 37 seqq.:

Thar fuarun mân manage. fóra themo kúninge.
  héri ouh rédihafter: so fólgeta thar áfter.
Er reit in mitte so gizám. so is thó zi theru réisu biquam.
  érlicho so er uuólta. joh selbo kúning scólta.
Húabun sie tho lobaz. sáng filu scónaz.
  ímo tho gimáchaz. joh filu rédihaftaz.
„Thu uueltis liutes manages. dauídes sunes thes kúninges.
  bist kúning ouh githiuto. therero lánt liuto.
Zi uuórolti simo héili. joh sálida gimêini.
  joh fruma in guállichi.. ubár állaz sinaz ríchi.
Giuuíhit sí er filu frám. uuant er in gótes namen quám.
  ist kúning uns gimúato. selbo kristo ther gúato.

Héili ouh thu thia hóhi. mit théru selbun uuíhi.
  bréiti ouh thínaz ríchi. in thaz hoha himilrichi.
Thar thúnsih hiar gihéltes. joh éngilo ouh giuuáltes.
  joh selben páradyses. mit giuuélti thar irscínes."
Ther selbo liut gúato. sang geméinmuato.
  thésses liedes uúnna. al éinera stímna.
Thaz súngun ió zi nóti. thie fórdoron liuti.
  thaz selba ingégin ouh inquád. thiu áftera hériscaf.

In his libros sacros Otfridum secutum non esse, sed addidisse multa ex populari consuetudine nemo non videt; de qua etiam plura testimonia afferri possunt; conf. Ruotgeri vita Brunon. c. 27. 28. et Hoffmann kirchenlied p. 8, (8). 11, (15). 12, (19). 14, (22). 33. cet.

His autem, quae attulimus, ea quae supra de ordine et dispositione chori pompali diximus, recte posita esse satis demonstratur. Vix tamen de alterno cantu ubique cogitandum est, quanquam eadem vetus erat in saltationibus usitata ratio, ut singulae carminum strophae, quas praecentor praeibat, a reliquis repeterentur [1]. De indole autem carminum vix quidquam pro certo affirmari posse videtur. Quum tamen deorum adventus praecipue celebrandi essent, opus erat salutatione laude ac prece cum laetitia, id quod otfridiano illo exemplo et testimoniis de posterioris aetatis consuetudine comprobatur. Et gothice ὕμνος redditur hazeins (Ephes. 5, 19. Coloss. 3, 16), quod proprie αἶνος est; cf. ags. herian laudare, ahd. harên clamare; deinde secundum saxonicam illam evangeliorum harmoniam Christum Hierosolyma ingredientem lofsange i. e. hymno prosecuti sunt; tum apud Notkerum lobsang et hymnus est et chorea; denique cum otfridiano illo: thesses liedes uunna conferantur vocabula synonyma wunnisang, hôhsang et hugisang i. e. jubilatio. Quare si eorum usus spectatur, carmina admodum brevia et verba quaedam juncta, ut sunt sacrae formulae, sufficere quidem videntur. Singulari vocabulo apud Nordmannos breve aliquod carmen in universum flockr appellatum est; quomodo apud Germanos superiores, non constat.

Similia esse poterant carmina, quibus in ipsis sacrificiis utebantur. Germani ea, quae diis offerebant, non cremabant neque aras neque altaria more

[1] Praefat. ad sagen märchen und lieder aus Schleswig Holstein und Lauenburg p. XXIII.

graeco ac romano habebant, sed capita abscissa et exuvias victimarum, similiter et homines diis dicatos, sacris arboribus suspendebant; hos quoque ferro caedere et scrobibus, aqua ac coeno mergere solebant [1]. Oblatio autem eorum, quae diis destinata, hoc modo facta videtur. Ferebat ea sacerdos sive quicunque sacra fecit, ceterique qui aderant eum secuti sunt agmine et gressu composito ita ut sacram arborem vel, quo ponenda erant illa, circulo ambirent carmenque simul, quo ea deo alicui dedicabant, canerent; postquam vero ea suo loco posuerunt, ut flexis cervicibus et preces facerent. Ita enim illum Gregorii magni (diall. lib. III, 28) locum, ubi de sacrificio a Langobardis, Tonanti deo ut videtur, oblato loquitur, intelligo [2]: „Eodem quoque tempore (i. e. ante quindecim fere annos quo dialogus scriptus sit) dum fere quadragintos alios (jam christianos factos) Langobardi tenuissent, more suo immolaverunt caput caprae diabolo, hoc ei, per circuitum currentes, (et) carmine nefando dedicantes; cumque illud ipsi prius submissis cervicibus adorarent, eos quoque, quos ceperant, hoc adorare pariter compellebant.“ Quum vero apud omnes Germanos sacrificandi ritus essent iidem, similia quoque omnibus fuisse carmina necesse est.

Attamen talia carmina omnia ejusmodi flokkir, quorum paulo supra mentionem feci, fuisse aegre mihi persuadeam; sed quum usu et indole Graecorum hymnis ac prosodiis comparanda videantur, profecto continuam quoque fabulam in dei, cujus dies erat festus, honorem exhibere poterant. Duo igitur fuisse carminum genera, quibus in pompis uterentur, existimo. Quae res etiam hac disputatione comprobari videtur.

Nulla enim erat major neque sanctior apud Germanos pompa, quam ubi ordinata acie universus populus ad proelium ibat. Eam autem ita instructam esse, ut vere pro pompa sacra aliqua habenda sit, certum est. Etenim majoribus nostris fortitudo non modo summa, sed prope divina virtus ac sola pugna esse videbatur, qua simul et omnis viri virtus et suprema omnium fatalis vis cerneretur. Pugnantibus enim ipsi dii adesse credebantur, qui non solum fortissimum quemque adjuvarent, sed etiam in ipsorum habitacula, ubi perpetuis proeliis ac conviviis fruerentur, eos, qui morte occubuissent, reciperent, quorum vero

[1] Tac. ann. I, 61. Germ. c. 12, 39. 40. Procop. d. b. goth. II, 15. cet. Vita Ulframmi ap. Mabillon. act. Benedict. sec. III. p. 359 sq.

[2] Et Grimmius myth. 46, opinor, eodem modo locum intellexit.

supremam legem ignavi violarent, qui igitur iis immolandi erant. Tali autem religione fiebat, ut dies, quo pugnandum erat, et sanctissimus et exoptatissimus esset ab omnique populo quodammodo celebrandus. Patrio igitur more comptus et ornatus quisque, ubi bella instabant, ad exercitum convenit (Germ. c. 6. 31. 38. 43. 45. ann. II, 14. Amm. Marc. XVI, 12, 6. 24. cet.) Tum sacris in deorum lucis rite peractis et comissatione per noctem cum gaudio habita (ann. I, 65. II, 12. histor. IV, 14. V, 15.), sortibus deinde aut sagis non prohibentibus (Caesar de b. g. I, 50) aut denique sacro certamine singulari feliciter commisso (Germ. c. 10), singulae familiae et propinquitates, feminis ac infantibus post tergum in carragine relictis, cuneos fecerunt, et si plures, quod plerumque accidit, aderant nationes foedere junctae, (Caes. d. b. g. I, 51. Tac. histor. IV, 16. 77.) hae generatim paribusque intervallis constiterunt; sacerdotes autem, quibus solis tanquam deorum ministris et velut deo imperante, quem adesse credebant, ut in conciliis publicis erat et coercendi jus, effigies et signa quaedam detracta lucis secum in proelium tulisse traditur (Germ. c. 7). Sunt vero signa illa deorum arma et instrumenta, quae a mythologis nostris attributa dicuntur, e. g. lancea Mercurii (Wôdani), malleus Herculis (Tonantis, Thunaris), gladius Martis (Tivi), phallus Liberi (Frohonis patris Ingaevonum, myth. 1209); arcus et sagitta ad Balderum fratremque fortasse referenda sunt (Snorr. 31); sed effigies secundum ipsum Tacitum (histor. IV, 22) imagines erant ferarum, quae symbolice deos ipsos indicabant, ut anguis (myth. 649. nordalb. stud. IV, hft 2) et lupus Mercurium, ursus (myth. 633) et caper Tonantem, aries [1] fortasse Martem, taurus [2] et aper (Germ. c. 45. myth. 194) Liberum ejusque sororem. Hoc modo, teste Tacito (l. l.), cuique genti inire proelium mos erat; praeterea Tacitus non nisi civitatis neque singularum centenarum pagorumque sacerdotes novit; erant igitur ejus aetate non nisi antistites sacrorum totius alicujus nationis communium [3], qui et signa effigiesque, quas in proelium portarent, ex iis tantum lucis depromere poterant, ubi numen aliquod ab universo populo in commune colebatur. Unde factum est, quum ea

[1] [2] Vid. quae disputavi in Schmidts zeitschrift für gesch. tom. VIII.

[3] De notione civitatis taciteae conferas Waitzii nostri verfassungsgesch. I, 51, et de sacerdotibus eundem ibid. p. 116 sqq. disputantem. Sed singulas quasque civitates commune quoddam sacrum habuisse et supra et commentatione apud Schmidtium l. l. satis demonstrasse nobis videmur.

sacra ut par erat media acie, nobilissimo circumstipante cuneo, tanquam a choro deducerentur, ut totidem pompae bellicae, quot gentes, adesse viderentur.

Jam vero simul atque exercitus hoc modo instructus pedem promovit, mulieres liberique a tergo positi ululatum sustulerunt, viri autem cantum (hist. IV, 18. Germ. c. 3. 7. cf. ann. IV, 47. hist. II, 22.). Ululatus ille ὀλολυγῇ sacrae, quam mulieres graecae super victimam modo caesam facere solebant [1], comparandus est; etiam Erinnyes et bacchae magaeque ululare dicuntur, neque ut quidam putarunt, hoc loco de carminibus magicis cogitandum est, sed voces erant subitae et inconditae, quibus feminae fortasse virorum cantui quodammodo respondere potuissent [2], quibus tamen vix amplius quidquam voluerunt quam viri clamore. Ipsum vero clamorem bellicum Alamannorum et Saxonum Ammianus Marcellinus [3] postero tempore ululatum quoque dixit lugubrem, et Graeci de eadem re verbis ὀλολύζειν et ἀλαλάζειν promiscue utuntur (Ez. Spanheim ad Julian. p. 233). Semel tamen Ammianus [4] Gothorum pugnam apud Adrianopolin (a. 378 p. Ch.) parantium cantum contemtim ululatum videtur appellasse; cantus autem virorum aliquid majus erat, teste Tacito et ipso Ammiano. Ille enim Germanos in proelium ituros Herculem primum omnium virorum fortium, hic Gothos majorum laudes cecinisse refert. Quae vere carmina fuisse nec voces tantum nemo negabit. Neque haec carmina cum brevibus illis cantilenis, de quibus supra disputatum est, conferri possunt, sed fatendum est Germanos illos Taciti neque Herculem omnium virorum fortissimum celebrare neque Gothos majores suos laudare potuisse, nisi fabulis atque exemplis. Cavendum tamen est, ne ea carmina pro vere epicis habeantur. Quibus sane neque narrandi stilo neque argumento jure conferri poterant. Etenim fabulis epicis semper aliquid ex historia admixtum est, et etiamsi demonstrari poterit jam Ammiani aetate inter

[1] K. Fr. Herrmann gottesdienstl. alterthümer § 28, 17.

[2] Cf. Wolf über die lais p. 27 sqq. 189. Wackernagel altfranz. lieder p. 203.

[3] XVI, 11, 8. XXVIII, 5, 6. XXXI, 2, 8. de Hunnis variis vocibus sonantibus torvum et Sidonii Apollinaris carm. V, ubi de Vandalis: At turba terrisono strepuit grave rauca fragore.

[4] XXXI, 12, 11: Atque ut mos est ululante barbara plebe ferum et triste, Romani duces aciem struxere. Quibus conferas quae ex anno antecedente XXXI, 7, 11 de iisdem Gothis narrat: At Romani quidem voce undique martia concinentes e minore solita ad majorem protolli, quam gentilitate adpellant barritum, vires validas erigebant. Barbari vero (i. e. Gothi Fritigerno duce) majorum laudes clamoribus stridebant inconditis; interque varios sermonis dissoni strepitus leviora proelia tentabantur.

Gothos poesin epicam artemque rhapsodicam esse ortam, carmina tamen, quae huc referenda sint, tunc quoque a pluribus simul cantata esse fidenter negandum. Itaque fabulas, quas carminibus illis, quibus in proelium ituri utebantur, expresserant, pure mythicas fuisse arbitror.

Sunt enim Ammiani verba, ut mihi quidem videtur, potius ex Tacito explicanda, qui Germanos deum Tuisconem filiosque ejus pariter deos gentisque conditores carminibus antiquis celebrasse tradit, ejusmodi autem carmina unum apud illos memoriae et annalium genus dicit. Majores igitur, quorum laudes Gothi cecinerunt, vix alii fuerunt, quam proceres illi (i. e. majores), quos ut Jordanis verbis c. 13. 14 utar, non puros homines sed semideos (immo deos superos) id est Anses vocavere, quorum, ut ipsi fabulis suis ferebant, primus fuit Gaut i. e. Wôdan (myth. 1207). Hunc vero conditorem gentis et summum omnium simul deum sub nomine Martis apud eundem Jordanem c. 5 latere suspicor. Eo enim teste „Gothi Martem deum belli dudum apud eos fuisse exortum dicebant, eumque semper asperrima placaverant cultura; nam victimae ejus mortes fuere captorum, opinantes bellorum praesulem aptius humani sanguinis effusione placandum: huic praedae primordia vovebantur, huic truncis suspendebantur exuviae, eratque illis religionis praeter ceteros insinuatus affectus, quum parenti devotio numinis videretur impendi.“ Quum Procopius [1] eadem de Marte Thulitarum i. e. Scandinaviorum summo deo narret, hunc quoque potissimum pro Odino sumendum esse censeo (cf. myth. 179. 122). Qui autem deus non solum bellorum dominus victoriaeque dator, sed etiam, ut Saxo Grammaticus ait, auctor aciei corniculatae et ordinandi agminis disciplinae omnisque denique bellicae artis ac scientiae traditor (i. e. magister) ac repertor et animi bellici creator moderatorque sapientissimus esse credebatur, profecto hunc similesque ejus filios tanquam majores suos Gothi proelium adituri carmine laudare poterant.

Herculem vero, quem teste Tacito Germani in pugnam ituri canebant, apud eosdem et deum fuisse et quidem summum post Mercurium idem est auctor. Nam Hercules, de quo capite nono de Germania libri loquitur,

[1] De b. goth. II, 15 *τῶν δὲ ἱερείων σφίσι τὸ κάλλιστον ἄνθρωπός ἐστιν, ὅνπερ ἂν δοριάλωτον ποιήσαιντο πρῶτον. τοῦτον γὰρ τῷ Ἄρει θύουσιν, ἐπεὶ θεὸν αὐτὸν νομίζουσι μέγιστον εἶναι.*

non, ut cuidam visum est,[1] alius esse potest, quam quem capite tertio vel annalium loco II, 12 memorat; an adeo imperitos religionis Germanorum Romanos et inconstantem eorum interpretationem putemus? Neque quoniam Hercules primus omnium virorum fortium[2] dicitur, eum heroem fuisse quisquam affirmare poterit, nisi qui, si quis Venerem omnium mulierum formosissimam dixerit, eam quoque pro heroina habebit. Sed etiam Grimmius eum inter heroes nostros posuit, quod non solum aperte Taciti verbis c. 3 repugnat, verum etiam vir doctissimus non considerasse videtur id quod satis notum est, Herculem apud Italos ac Romanos non heroem ut apud Graecos, sed deum et quidem antiquissimum et nobilissimum fuisse. Quare quum Germanorum Hercules omnino inter summorum, qui apud eos colebantur, deorum numerum investigandus sit, hoc unum restat, ut Casparis Zeussii, eximii viri, opinioni accedamus, qui in libro suo de Germanis eorumque vicinis nationibus p. 25 eum Tonantem (Thunarem) esse censuit, neque ea sententia Grimmio (myth. 338) videtur improbanda[3]. Jam taciteae trilogiae Mercurii Herculis Martisque illa, quae, erat Francorum Ribuariorum: Thuner ende Wôdan ende Saxnôt, prorsus respondet apteque conveniunt longo temporum intervallo discreta, quum etiam Tacitum librum de Germania conscribentem maxime Iscaevonum populos Rheno proximos, quorum pars erant Franci, ante oculos habuisse certum sit.

Attamen viri docti offendere et haerere solent in eo, quod Hercules Romanorum non ut Germanorum Thunar pro tonitruum fulgurumque domino sit habitus. Sed animadvertendum est jam Graecos apud omnes fere, quocunque venerint, peregrinas nationes singulari cum studio de Hercule plurimum quaesivisse, multumque tamen abesse ut dii, quos apud Aegyptios Phoenices Persas Indos Scythas Gallosque Herculi similes deprehendere

[1] Wilh. Müller gesch. und syst. p. 44.

[2] Quae verba interpretes hoc modo solent reddere: „Sie besingen ihn unter (sive von) allen tapfern männern zuerst beim ausziehn in die schlacht". Quod quo modo intelligendum sit, profecto non assequor, nisi forte aliquis ineptum hunc sensum inesse velit: Germanos in proelia ituros etiam post Herculem longam aliorum virorum fortium seriem carmine persecutos esse. Igitur Tacitus hoc loco verbo primus paulo insolentius non de tempore, sed de ordine usus est; similiterque et princeps de tempore usurpatur, cf. Kritz ad Sall. Iug. 28; locus autem vertendus est: „Sie besingen ihn als den ersten aller tapfern männer, wenn sie in die schlacht ziehn". Inest comparatio quaedam hoc loco aptissima.

[3] Cf. etiam Wilh. Mülleri gesch. und syst. p. 241.

sibi visi sint ejusque nomine appellaverint, cum eo ab omni parte congruant. Eorum autem rationem secuti Romani et in Gallia belgica adeo Herculem Neptunum invenerunt, et Drusus etiam ulterius per Germaniam oceanumque septemtrionalem in eum inquirere tentavit (Germ. c. 34 cl. c. 3). Quem jam Thunare Herculi similiorem inter Germanorum deos invenire poterant, quum praeterea Mercurio apud eos summum locum tenente fortasse religio esset Jovem secundo ponere? Hercules enim, qui deorum heroumque robustissimus et fortissimus ab omni antiquitate perhibetur, qui clava armatus terram omni gigantum monstrorumque sobole liberaverit, ita ut universa ejus vis defendendo et averruncando cerneretur ipseque defensor averruncus σωτήρ ubique appellaretur, prorsus cum Thunare nostro convenit. Qui summi dei filius et ipse deus plebi rusticae prae ceteris dilectus, qui pariter ac Hercules continuis et quidem pedestribus proeliis, malleo instructus, itineribusque longinquis gigantum et monstrorum indefessus debellator exstitit, et omnium deorum longe validissimus omniumque strenuissimus et generis humani amantissimus praedicabatur. Itaque fabula quaevis, quae eum rem suam fortiter feliciterque gerentem demonstravit, velut omnium quoque virorum fortium summum exemplum proposuit. Unde carminis, quodcunque ejusmodi fabulam exhibuit, hanc vel maxime fuisse rationem perspicitur, ut eo ii, qui canerent, non solum deum laudibus extollerent ejusque auxilium implorarent, sed etiam, quemadmodum ipsis jam contra hostes dimicandum et rura patria domusque ab eorum manibus defendendae erant, deum plane eadem gerentem quasi praesentem ante oculos sibi ponerent; eoque socio et summo ejus exemplo non fieri potuit ut eorum animi non accenderentur.

Non autem existimandum est omnes Germanorum populos in proelia ituros solum cecinisse Herculem. Adversatur primum illud Ammiani testimonium. Sed etiam Tacitus non nisi casu quodam Herculis mentionem fecit, quum eorum opiniones, qui Germanos aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos esse contendebant hujusque rei testem illum afferebant, recenseret; neque illud quidem veri simile est ut de Hercule apud populos Rheno proximos omnes aequabiliter cantatum sit. Convenienter quidem id fecissent Cherusci ceteraeque nationes, quae antequam in campo Idisiaviso h. e.

nympharum prato [1] pugnatum est (a. 16 p. Ch.), in silvam Herculi sacram convenerant (ann. II, 13). Quis tamen Sigambros in Thracia (a. 26 p. Ch.) stipendia facientes (hist. IV, 47) et Vitellianos milites in Italia superiore (a. 69 p. Ch. hist. II, 22), Frisones denique Batavosque Civili duce (a. 69 p. Ch. hist. IV, 18), quum in aciem prodirent, omnes eadem vel de eodem deo cecinisse putet? An apud Germanos rem similiter ut apud Graecos, qui unum Apollinem sororemque post pugnam paeane celebrasse videntur, institutam esse cogitemus? Sed supra demonstratum est singulam quamque gentem dei, quem maxime coluit, sacra secum in pugnam portasse, erantque ea quasi indubia praesentis numinis testimonia et indicia omnibus aperta. Quare aptius videtur unamquamque gentem eum quoque deum carmine celebrasse, cujus sacra ferrentur. Omnes autem Germanorum dii acerrimi pugnatores bellique amantissimi et credebantur et mythis exhibebantur, ipsaque dea quaedam summa proeliis intervenire videbatur. Vix igitur fieri potuit, ut apta carmina, quibus pugnaturi uterentur, de singulis diis praesto non essent. Nonne enim Hermunduros ante pugnam carmen aliquod de Marte ac Mercurio cecinisse putemus, quibus totam Chattorum aciem voverant et de quorum, ut videtur, sacris fontibus jam iis dimicandum erat? Id vero ubique tenendum est hoc fieri non potuisse nisi fabula ac mytho.

Cantatum autem est antequam arma consererent, et quidem ab omni exercitu. Quare carmina nota et diuturno usu satis divulgata esse debebant; fuisse igitur omnia, quibus uterentur, antiquissima et a majoribus tradita necesse est, id quod etiam asseri solet ubi eorum fit mentio (Germ. c. 3. Jordan. c. 4. Heimskringl. II, 347). Neque tamen cogitandum est totum exercitum uno ore simul cantum extulisse, sed unus, tanquam praecentor, vel electi quidam et prae ceteris docti, ii puto, qui media acie illis deorum sacris comites aderant, exorsi ceterique secuti sunt. Quod posterioris aetatis exemplo quodammodo etiam comprobatur; ille enim „rithmus teutonicus de piae memoriae Hluduico rege“ haec habet:

Ther kuning reit kuono. Sang lioth frano.
Joh alle saman sungun. Kyrrie leison.
Sang uuas gisungan. Uuig uuas bigunnan. cet.

[1] Ita scribendum et explicandum esse nomen jam ante Grimmium vidit Hermannus Müllerus (marken des vaterlandes).

Ceterum hic mos canendi ante pugnam diu inter Germanos viguit, cujus rei plurima, quae etiam facile augeri possunt, exempla congessit Hoffmannus (deutsches kirchenlied p. 12. 32 sqq.)

Carmine autem illo deos celebrante cantato, quum jam in eo esset ut arma consererentur, clamor trucissimus vel cantus attolli solebat, cujus nomen barditus [1] tam celebre esse paene dolendum est. Sunt qui utrumque confundant, sed rem ita institutam esse ut modo dixi, et narrandi ordine apud Tacitum et singulari Vegetii [2] praecepto demonstratur; quemadmodum etiam illud quod Ammianus (l. supra p. 14 l.) de Romanorum barritu deque Gothorum cantu simul auditis narrat, facile intelligi potest. Nam illorum exercitus, qui teste Caesare (d. b. civ. III, 92) etiam cum clamore (teste quidem Tacito (hist. IV, 18) cum silentio) impetum facere solebant, quum saeculo quarto barbaris referti essent, jam barbaram [3] illam barritum (ita commutato nomine appellatus est) ciendi consuetudinem susceperunt. Verum etiam ipsi barbari morem illum primum immutasse, deinde et reliquisse videntur; nihil enim neque a nostris serioris aetatis scriptoribus, neque a Nordmannis [4],

[1] Sic in codd. optimis et plurimis scriptum invenitur, alii habent bardicum, alii denique baritum. Ita tamen Rübsius (erläuterung zu Tacitus Germ. p. 144) et Grimmius (RA. 876. myth. 614) apud Tacitum scribendum esse consent vocemque interpretantur clamorem; esse enim derivandum a fris. baria. Quod quidem significare: manifestare, accusare, recte dicunt, sensum tamen clamandi inesse probare nunquam poterunt, vid. Richthofen altfries. wb. s. v. Vegetius et Ammianus barritus scribunt; quod ex depravatione vel assimilatione ortum ne puta. Nam apud Appulejum aliosque barritus elephantum, quos Horatius (epod. 12, 1) barros dixit, rugitum significat, et cf. Isidor. Origg. XII, 2, 11: Apud Indos elephantus a voce barrus vocatur, vox ejus barritus; quod quidem dubitandum, Pott etymol. forsch. I, LXXXI. Sed vox utique barbara est, teste Ammiano, neque originitus latina; minime tamen germanica. Nam etiamsi vocem barditus cum Tacito Germanorum esse dicamus, barritum potius a Romanis de eadem re usurpatum esse cum Gerlachio suspicamur, quod clamorem bellicum Germanorum cum inconditis belluarum sonis compararunt. Vocabulum barditus explicare nescio; sed prorsus inepta est eorum opinio qui de bardis Gallorum et, ut ferunt, Germanorum poetis somniarunt.

[2] De r. milit. III, 18: Clamor autem quem barritum vocant, prius non debet attolli, quam acies utraque se junxerit. Imperitorum enim vel ignavorum est vociferari de longe, cum hostes magis terreantur, si cum telorum ictu clamoris terror accesserit.

[3] Festus: barbaricum appellatur clamor exercitus, videlicet quod eo genere barbari utuntur.

[4] Conferatur tamen Saem. 29 b.: (scil. carminum magicorum)
þat kann ek it ellefta, ef ek skal til orrosto
leiða lângvini:
undir randir ek gel, en þeir með rîki fara
heilir hildar til,
heilir hildi frâ,
koma þeir heilir hvaðan.

quod scio, quidquam traditum est, quod cum barditu, qualem Tacitus, sive barritu, quem Ammianus describit, jure conferri possit. Fuisse autem carmina, quorum relatus barditus vocaretur, Tacitus adfirmat; nihil tamen de his jam apud Ammianum invenitur ejusque aetate barritus nil nisi truces voces videntur esse. Sed et illa carmina quae Tacitus memorat, oportet ab eo genere, de quo antea disputatum est, plurimum quantum abhorruerint. Nam „objectis ad os scutis [1], quo plenior et gravior vox repercussu intumesceret, praecipue asperitas soni et fractum murmur affectabatur". Quae optime iis illustrantur, quae Ammianus (XVI, 12, 43) de Cornutis Braccatisque, Gallis ut videtur, Romanorum militibus e. pugna argentoratensi (a. 357 p. Ch.) refert. Hi enim „usu proeliorum diuturno firmati, „postquam cominus ventum est, „Alamannos jam gestu terrentes, barritum civere vel maximum, qui clamor ipso fervore certaminum a tenui susurro exoriens paullatimque adulescens ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum"; conff. ll. supra p. 14 ll. Unde facile perspicuum est etiam carmina illa pauca tantum verba fuisse, quae mox in stridores sonosque raucos abierint, inter quos r et u praevaluisse conjici licet (cf. gramm. III, 308). His autem et animos accendere et hostes terrere [2] cogitabant, quare apte conferri possunt cum tympanorum plausu nostris militibus usitato. Sed et trepidant Germani barditum canentes, ait Tacitus; futurae enim pugnae fortunam, prout sonuit acies, augurabantur. Carmina igitur magicis similia erant atque ejusmodi cantilenis comparanda, quae etiam nunc, alio quidem tempore ac loco, a plebe ac puerulis canuntur; similiter enim verbis quibusdam junctis exorsae mox in meros sonos desinunt. Quo autem plenior et gravior barditus auditus est, eo certius ac fidentius veteres nostri majores deos, quos carmine antea celebraverant, et praesentes et benignos faventesque adesse jam dimicantibus crediderunt.

Sed haec sunt leviora neque ad poesis nostrae historiam ita magni momenti, nisi propter miros quorundam errores. Si autem ea, quae supra de carminibus bellicis disputavi, probantur, jam inde de iis, quae in pompis sacris adhiberi solebant, quaedam colligi poterunt. Etenim siquidem acies

[1] An igitur vocem barditus cum island. bardi clypeus, bardagi proelium, a berja (praet. bardi) ferire derivatis, conferamus?

[2] Cff. ll. hucusque et p. 14 ll; adde Ammian. XXII, 7, 17. (a. 365 p. Ch. de Romanis): pro terrifico fremitu, quem barbari dicunt barritum.

instructa omnino pompae similis erat, sane etiam carmina pompalia non omnia brevia et tenues aliquot versiculi esse, sed et mythos ac fabulam quandam exhibere poterant. Ipsae etiam pompae sacrae ubique mythi cujusdam partem aliquam ob oculos ponere videntur. Rediit enim deus vel dea, quum per annum potentia sua uti denuo coeperit; quod deducto curru navigio aut aratro significatur, adventumque ejus jam ipsa pompa quodammodo imitatur. Optime igitur, ut mihi quidem videtur, a Wilhelmo Müllero (syst. p. 267) observatum est circumvecto illo per Sueonum regiones, comitante sacerdote femina, Freyi curru simul dei pompam nuptialem repraesentatam esse. Quum vero, teste Adamo Bremensi (de situ Daniae c. 234; cf. Saxo III, p. 278 ed. Müller.), naeniae, quae in ejus sacris Upsaliae habitis fieri solebant, multiplices essent et inhonestae, etiam canticis de amoribus dei Gerdaeque vel de rebus per eum, ut amatam virginem nancisceretur, praeclare gestis currum prosequi poterant. Sed eodem modo et currus Nerthus deae circumducebatur (myth. 96) et similem huic ritui subesse mythum opinor [1]. Sunt autem mythi plurimi, qui de reditu deorum quasi reviviscentium agunt.

Nobilissimo huic pomparum generi proxime accedere videtur id, ubi virgo aut juvenis quidam, qui deae aut dei alicujus partes suscepit, comitante choro deducitur [2]; potissimum tamen ad ludos referenda est ejusmodi pompa. Erant etiam aliae minus quidem nobiles ac celebres, sed quae eo saepius actae sunt. Memorantur (indicul. superst. tit. 28) simulacra, quae per campos aut per vicos portabantur, sive pro annonae ubertate sive ad exorandos imbres et ventos tempusque nautis ac piscatoribus secundum, sive denique alia occasione atque alio consilio [3]. In his quidem pompis nihil nisi simplices preces, metrice tamen factae decantatae videntur (myth. 160. 560). Supersunt adhuc cantiunculae, quibus solem invocant, ut nubes fuget coelumque serenet, atque indubia insunt veteris religionis vestigia [4]. Omnem tamen ejusmodi rituum ac cantilenarum popularium numerum hoc loco persequi neque possumus nec volumus; circumferuntur autem etiam nunc per vicos

[1] Vid. apud Schmidtium l. l.

[2] Grimm myth. 740. 845. Haupts zeitschr. VI, 76.

[3] Myth. 159. 560. 1202. Müller syst. p. 113. 114. Freytag de init. scenic. poes. apud Germ. p. 9. sagen aus Schlesw. Holst. und Lauenb. p. 597.

[4] Nordalbing. stud. IV, hft 2. wunderhorn (1846) III, 428. 429. cf. myth. 388.

et signa, ut phallus (myth. 1209), baculus (Müller syst. p. 113 [1]), malleus (Firmenich I, 348), et effigierum atque imaginum loco ipsae ferae, ut vulpis et cornix [2] (puto lupi et corvi loco), sciurus [3] et melolonthes (myth. 657. 1222); exornatur et puer quem ursum dicunt (myth. 745.). Quae ad Liberum Mercurium Tonantemque referre non dubito, iidemque plane ritus apud Graecos inveniuntur et cantilenae, quae in illis etiam nunc ubique fere adhibentur, horum *εἰρεσιώναις* et *χελιδονίσμασι* mirum quantum similes sunt. Quare praesertim quum etiam certo semper die fieri soleant, hi ritus antiquissimae religionis reliquiae esse debent. Observantur autem hodie plurimi a pueris tantum neque tamen omnes. Similes igitur pompas et quidem nobiliores quondam non solum deducendo curru, navigio et aratro, sed etiam signa sacra et effigies comitando ab omni populo institutas et celebratas esse colligi licet. Jam vero quum antea demonstratum sit iisdem signis et in proelia euntes usos esse, potuit sane fieri, ut etiam iisdem carminibus, quae pugnaturi in summorum deorum honorem canebant, alio tempore, quum eorumdem deorum dies esset festus, in deducenda pompa uterentur, aut ut verius dicam, ut carmina quae in deducenda pompa adhibere solebant, ea quoque, quum ad proelium irent ejusdemque dei sacra secum ferrent, apte canerent, siquidem fabula aliqua carminum erat praecipua pars. Non enim cogitandum est Germanos pompa sacra bellicam imitari, sed potius instructa acie et procedente et canente sacram pompam sibi visos esse repetere.

Pomparum autem actionem et carmina mythica aut saltem quae ad paganorum morem proxime accedere videbantur, in illis usitata inter statuta salisburgensia anni 779 (Pertz III, 80) spectat hoc: „Ut omnis populus honorifice cum omnis supplicationibus devotione, humiliter et cum reverentia absque pretiosarum vestium ornatu vel etiam inlecebroso cantico et lusu saeculari cum laetaniis procedant et discant Kyrieleyson clamare; ut non tam rustice ut nunc usque, sed melius discant".

---

[1] Cff. Kuhn märk. sagen p. 307 sqq. Firmenich völkerst. I, 139. 154. 184. 231. 281. 359. 380. 424. 432. 436. 525. II, 15. 34. 66, 72. myth. 722 sqq. 730 ann.

[2] Schütze holst. idiotik. III, 165. Kuhn märk. sagen p. 310. myth. 724.

[3] Cum myth. 582. et Mülleri syst. p. 249. conferas Firmenich I, 426. 458. cl. 359.

Duo igitur praecipue distinguenda videntur carminum genera, unum nobilius ac continuis fabulis insigne, alterum brevius paucisque tantum versibus constans. Cui tamen generi adnumeranda sunt et carmina quae ut magica, etiam si non totum aliquem mythum, certe ejus particulam exhibent; alia autem ab omni narrandi stilo longius recedunt ac potius gnomicis et didacticis comparanda sunt, eaque verae et propriae formulae sacrae [1]; alia denique, ut barditus, in meras voces sonosque abeunt. Quo et referenda videntur nautarum celeumata [2], scefsanc scipleod liodôm antiquo nomine dicta (Graff VI, 253. II, 200), atque ejusmodi etiam sine dubio cantilenae molares [3], quarum quidem nobilissimum exemplum Gróttasöngr hoc loco conferri non potest, similesque erant illae bubulcorum [4] et aliae multae. Memoratur et cantus abeuntium ac profisciscentium, praesertim exercitus ire aut redire parati (Bruno de b. saxon. c. 88. 100. 122. Rother 4970. Orendel 392. 435. Oswalt cod. vindob. 2574. Kudrun 397. 695. 1117. 1571. 1588. 1696. Hoffmann l. l.), quo etiam spectat anglosaxonicum illud fûsleódh (cod. exon. ed. Thorpe p. 39, 17. 183, 1. Andr. 1549.).

At paulo majoris momenti sunt carmina nuptialia, quorum varia erant nomina: adh. hileih leihhôd brûtisang (Graff II, 153. VI, 252), mhd. brûtleich, ags. brydlâc brydsang brydleódh, atque varius usus. Refert Tacitus de sponsalium actione nihil nisi virum munera, ut boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque, pro virgine parentibus obtulisse rursusque si probantur illa, eam ipsi invicem armorum aliquid afferentem accepisse; sed certo antiquissimae jam aetati tribuendus est mos cantandi ubi nova nupta comitante juvenum choro ad maritum ducitur [5].

[1] Exempla quodammodo sunt preces illae anglosaxonicae apud Grimmium myth. 1186. cff. 1192. 1193.

[2] Cff. ll. paulo infra ll. ex Orend. Osw. Kudr.

[3] Cf. Schneidewin delectus p. 466.

[4] Firmenich I, 348. myth. 1189. Benedict. Levit. II, (VI) § 205 (Pertz IV, 2, p. 83) — omnes canendo Kirie eleison veniant et eundo et redeundo Kirie eleison decantent. Similiter et pastores pecorum eundo et redeundo in campum et ad domum faciant, ut omnes eos veraciter christianos et devotos esse cognoscant. — Cf. Schneidewin l. l.

[5] Si quis puella sponsata druchte ducente in via adsallierit cet. Lex sal. (text. C. Pard.) tit. XIII, 14. cf. ahd. truhtinc paranymphus, alts. drohting Helj. 62 [21], langob. cod. cav. trohting Graff V, 517. Neocorus ed. Dahlm. I, 111. Etiam desponsione facta, ubi sponsus domum redire vult, idem ib. p. 107 refert: wert an etlichen orten dem brudegamme unde sinen bistande eine schoner roder banner (armorum aliquid?) vorehret, den se mit frewden unde gesange wedder to erem heime vören unde damit triumphieren.

Cujus rei testimonia haec sunt (deutsche sprachdenkmale (sec. XII.) hrsg. von Karajan p. 26, 1, cf. 37, 9):

Dô riten mit der broute
chindische loute,
rîter gemeite,
hêrlîch gereite:
hoy, wie sî dô sungen,
dô sî sie heim brungen!

et Lamprechti Ratisponensis (Lachmann rhein. mus. (1829) III, 423) hî versus:

sie wurden vroelîch und gemeit
gegn ir antphange.
mit süezem minnesange,
(daz sint epithalamicâ)
mit den brûtleichen wart sie dâ
in daz palas gecondwieret.

Atque eodem referenda videntur, quae Sidonius Apollinaris (carm. V) de Francis narrat, quos Romani repentino adventu prope vicum Helenam adorti sunt:

fors ripae colle propinquo
barbaricus resonabat hymen scythicisque choreis
nubebat flavo similis nova nupta marito,

licet jam de convivio et comissatione nuptiali sermo esse videatur:

Hostis terga dedit: plaustris rutilare videres
barbaricis vaga festa thori conjectaque passim
fercula captivasque dapes cirroque madente
ferre coronatos redolentia serta lebetas.

Choreas autem ludosque in convivio aut post actos spectat titulus LXXXIII concilii aquisgranensis anni 816 (Harzheim I, 476) e laodiceno anni 372 (Labbeus I, 790 tit. 54) repetitus:

Quod non oporteat sacerdotes aut clericos quibuscunque spectaculis in scenis aut in nuptiis interesse, sed antequam thymelici ingrediantur, exsurgere eos convenit atque inde discedere.

ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοῖς ἢ κληρικοῖς τινας θεωριας θεωρεῖν ἐν γάμοις ἢ δείπνοις, ἀλλὰ πρὸ τοῦ εἰςέρχεσθαι θυμελικούς ἐγείρεσθαι αὐτούς καὶ ἀναχωρεῖν.

Sed de ejusmodi choreis ludisque potius videtur alio loco disputare. Ceterum de cantibus nuptialibus gravissimus est auctor Neocorus noster I, 116. 119. cf. 176 sqq. [1].

Alterum et valde memorabile est id genus carminum, quae Romani naenias, Germani superiores proprio nomine sisuva sisesang, Franci quoque Ribuarii dâdsisas [2], tum etiam leidsang chlagasang charasang charaleih (Graff VI, 252. II, 153), Anglosaxones denique lîcsang lîcleodh (gloss.: epicedium) byrgensang (gl.: epitaphium) sive byriensang bergelsleódh et byrgleódh [3] i. e. carmina super tumulum vocaverunt. Tacitus autem quum de funerum apud Germanos consuetudine ageret, illorum etiam nullam fecit mentionem; nam de Romanis cogitavit nullamque igitur Germanis in hac re esse ambitionem jure quodam dicere potuit. Id quoque facile observari potest postero demum tempore, quum vetus religio jam ad finem vergeret, funera magnificentius celebrata esse, praesertim quum et alia certa vestigia indicent tunc etiam manes multo religiosius quam antea cultos deorumque paene loco habitos esse [4] atque illam superstitionem, quam necromantiam dicunt, simul latius manasse (myth. 1178). Verum quum Sĕsithaci Sĕgimeris filii nomen certo sit antiquissimum, Germanos etiam tum vocem illam sisua habuisse [5] et naeniis carminibusque lugubribus usos esse nemini non fatendum est. Haec enim est vera ac primitiva vocis notio, sed pariter ac Romanorum naenia, et de cantilenis nugisque et de carminibus magicis usurpata est [6]. Gothi graecum θρηνεῖν singulari verbo gáunôn [7], unde et gáunôþa ὀδυρμός, reddunt; idque solenne eorum de planctu super

[1] Sed mos depravatus neque testimonium magni faciendum videtur, quod in Grimmiorum KM. n. 56 invenitur: Roland sollte hochzeit halten; da ward nach altem brauch im lande bekannt gemacht, es sollten alle mädchen sich einfinden und zu ehren des brautpaars singen cet.

[2] [3] Graff VI, 261. Grimm gramm. II, 192. 476. myth. 1178.

[4] Cff. quae Müllerus syst. p. 64. 76 (adde Jordan. c. 30) 413. congessit.

[5] Altera nominis pars est ahd. decchi, altn. þeckr i. e. carus, dilectus, omnibus valde desiderabilis.

[6] Quare glossae apud Graffium l. l. sisua sive gipôsi i. e. nugae habent; nomina autem illa Gothorum Vandalorumque Sisebutus, Sisenandus aliaque similia explicanda sunt: carminis magici nuntius, carmine magico audax cet.

[7] Synonymum biufan margine appositum est Luc. 7, 32, cf. Matth. 11, 17; κόπτεσθαι Luc. 8, 52 flêkan i. e. fluohhan redditur, quod tamen literaliter cum latino plangere et graeco πεπληγέναι convenit; cf. goth. vôpjan clamare, alts. wôpon, ags. vêpan, ahd. wuoffan lamentari; alts. gnornon, grornon, gornon, ags. gnornian potius lugere, moerere est. —

mortuos vocabulum fuisse puto. Narrat Procopius (de bello goth. II, 2) haec: proelio, quum Gothi duce Vitige a. 537 Romam obsiderent, ante portas facto Κουτίλας (dux quidam Romanorum) ἡμέραις ἀπέθανε τρισὶν ὕστερον. διὰ ταῦτα μὲν οὖν Ῥωμαῖοι τὴν νύκτα ὅλην ἐκείνην ἐν πένθει μεγάλῳ ἐγίνοντο. Γότθων δὲ θρῆνοι πολλοὶ καὶ κωκυτοὶ μεγάλοι ἐκ τῶν χαρακωμάτων ἠκούοντο.— ἐγνώσθη μέντοι τῇ ὑστεραίᾳ ὡς ἄνδρας δοκίμους ἐς τὰ μάλιστα τοῦ ἐν Νέρωνας πεδίῳ στρατοπέδου Γότθοι ἐθρήνουν, οὓς δὴ ὁ Βούχας ἐν τῇ πρώτῃ ὁρμῇ ἔκτεινεν. In quibus quum Romanorum luctui Gothorum threnos ac lamenta ploratusque opponeret Procopius, hos puto principum illorum virorum exsequias instituisse eodem modo, de quo statim videbimus.

Cantatum est primum, quum corpus ad sepulcrum deferebatur. Edixit concilium tertium Toleti anno 589 a Gothis episcopis habitum c. 22 haec: „Religiosorum omnium corpora, qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum psalmis tantummodo, psallentium vocibus, debere ad sepulcra deferri. Nam funebre carmen quod defunctis cantari solet, vel pectoribus se proximos aut familias caedere omnino prohibemus.“ Simile edictum in Benedicti Levitae collectione lib. II, (VI,). § 197 (Pertz IV, 2, p. 83) invenitur: „Admoneantur fideles ut ad suos mortuos non agant ea quae de paganorum ritu remanserunt. Sed unusquisque devota mente et cum compunctione cordis pro ejus anima dei misericordiam imploret. Et quando eos ad sepulturam portaverint, illum ululatum excelsum non faciant, sed sicut superius diximus, devota mente et cum compunctione cordis, in quantum sensum habuerint, pro ejus anima implorare dei misericordiam faciant. Et illi, qui psalmos non tenent, excelsa voce Kirie eleison, Christe eleison viris inchoantibus mulieribusque respondentibus alta voce canere studeant pro ejus anima“. Denuo igitur alterni cantus fit mentio. Illum vero morem mortuos sub cantu deferendi adeo in ipsa pugna catalaunensi a Visigothis religiose observatum videmus. Quum enim diutius exploratum regem suum Theodoricum inter densissima cadavera reperissent, teste Jordane c. 41, eum cantibus honoratum inimicis spectantibus abstulerunt; et addit: „Videres Gothorum globos dissonis vocibus confragosos adhuc inter bella furentia funeri reddidisse culturam; fundebantur lachrymae, sed quae viris fortibus impendi solent; nostra mors erat, sed Hunno teste gloriosa, unde hostium putaretur inclinata fore superbia, quando regis efferre cadaver cum suis insignibus inspiciebant“.

Sed erat etiam alius carminum usus. Idem enim Jordanes c. 49, ubi gothicam sine dubio narrationem secutus de Attilae inferiis agit, regis corpore in mediis campis intraque tentoria serica collocato, jam de tota gente Hunnorum electissimos equites, locum in modum circensium cursibus ambientes, facta ejus cantu funereo tali ordine retulisse ait:

> Praecipuus Hunnorum rex Attila, patre genitus Mundeucho [1], fortissimarum gentium dominus, qui inaudita ante se potentia solus scythica et germanica regna possedit, nec non utraque romani orbis imperia captis civitatibus terruit, et ne praedae reliqua subderentur [2], placatus precibus annuum vectigal accepit, quumque haec omnia proventu felicitatis egerit, non vulnere hostium, non fraude suorum [3], sed gente incolumi, inter gaudia laetus, sine sensu doloris occubuit: quis ergo hunc putet exitum, quem nullus aestimet vindicandum?

Quae verba duodecim fere versibus gothicis sive quatuor et vigenti hemistichiis reddi posse arbitror. „Postquam vero rex talibus lamentis est defletus, pergit Jordanes, stravam [4], quam appellant ipsi, super tumulum ejus (locum scil. illum, quo erat positus, elatiorem) ingenti comessatione concelebrant et contraria invicem sibi copulantes luctum funereum mixto gaudio explicabant; noctuque secreto cadaver est terra reconditum, ferculo auro argento ferroque communito; adduntque et arma hostium caedibus acquisita, phaleras vario gemmarum fulgore praetiosas et diversi generis insignia, quibus colitur aulicum decus; et ut tot et tantis divitiis humana curiositas arceretur, servos ac ministros operi deputatos detestabili mercede

[1] Codd. omnes, quod scio Mundzucco, paris. Manzuchio. Sed Priscus p. 150. ed. bonn., quam paulo ante Jordanes sequitur, formam veram et germanicam exhibet: Mundiuchus, quocum cf. Gundeuchus, qui et Gundovechus, quasi dicas Chlodeuchus pro: Chlodovechus.

[2] Sequor auctoritatem codicis palatini, quae ubique fere probanda; hic locus aliique, quemadmodum in edd. leguntur, intelligi non possunt.

[3] His verbis probatur ea, quae hoc loco narrentur, non ut paulo antecedentia, e Prisco graeco scriptore deprompta esse, qui Attilam Ildiconis i. e. Hildiconis (vide Graecum!) mulieris cujusdam fraude interiisse tradidit; cf. Sybel de font. Jordanis p. 26.

[4] Vox est gothica neque hunnica, quam latine lectisternium aut struem accurate reddas, e goth. straujan στρωννύναι derivata; cf. Grimm wegfall der conson. p. 30. Scholiast. ad Stat. Theb. 12, 64: Exuviis hostium exstruebatur regibus mortuis pyra, quem ritum sepulturae hodie quoque barbari servare dicuntur, quem strabas dicunt lingua sua. Etiam apud Jordanem tota actio, neque sola strues vel pyra, eo nomine appellatur.

trucidarunt.“ Eodem modo et servi, qui lustrationem sacri Nerthus deae vehiculi ministraverant, lacu statim mergebantur, additque Tacitus similiter: arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid sit illud quod tantum perituri vident; et Gothi postquam Alaricum regem suum cum multis opibus fovea in Barentini amnis alveo facta condiderunt, rursusque aquas fluvii reduxerunt, ne a quoquam quandoque locus cognosceretur, fossores omnes interemerunt, Jordan. c. 30.

Eadem fere ratione, etiam si non pari cum sumtu et apparatu neque homicidio, certe nobilissimus quisque eo tempore post mortem honoratus est. Itaque posthac ecclesia christiana in illo luctu, quem Jordanes dicit, cum gaudio mixto maxime offendit. In universum igitur „sacrificia mortuorum“ [1] i. e. inferiarum celebratio prohibentur; sed eodem fere tempore etiam concilium Liptinis apud Francos Ribuarios a. 744 habitum primo titulo de sacrilegio ad sepulcra mortuorum, altero de sacrilegio super defunctos id est dådsisas statuit, illo sine dubio in convivia nocturnasque prope tumulos comissationes, hoc in carmina animadvertens. Etiam illo quod supra ex Benedicti Levitae collectione laudatum est, edicto admonentur fideles, ut „super tumulos nec manducare nec bibere praesumant“, et sanctus Eligius [2] † 659 Francos Salios hoc modo adhortatus est: „Nullus christianus in puras (leg. pyras) credat neque in cantu sedeat, quia opera diabolica sunt“. Quum autem convivium et comissatio per noctem, antequam mortuus humatus est, habebatur, non solum cantatum est, sed et saltationes et ludi, quemadmodum quondam et Graeci fecere, acta sunt. Invenitur enim canon apud Reginonem (Harzheim II, 500) e concilio, ut fertur [3], arelatensi desumptus, quem ad Germanos referre licet, ejusmodi: „Laici, qui excubias funeris observant,

[1] Karlomanni capitul. a. 742, § 5 (Pertz III, 17.) Bonifacii epist. 44.

[2] d'Achery spicilegium (1723.) II, 97. Grimm myth. app. XXX.

[3] De hac re dubia vide Hoffmannum l. l. p. 10. Repetit totum locum Burchardus Wormatiens. lib. X, c. 34. p. 136 a (1535.) cf. interrog. 54. p. 13 b. (Grimm myth. app. XXXIII. XXXV). — Affert Wackernagelius (wessobr. geb. p. 25) ex editione Labbeanae conciliorum collectionis, ut puto, altera locum hunc: „Carmina diabolica quae nocturnis horis super mortuos vulgus facere solet, et cachinnos, quos exercet, sub contestatione omnipotentis dei prohibete“, et esse edictum contra Saxones affirmat synodi romanae Leone IV papa medio seculo IX habitae; sed de hac nihil invenio, occurrit autem idem locus in commonitorio, ut fertur, episcopi cujusdam ad sacerdotes subditos, quod ex duobb. codd. viconiens. et parisien. ediderunt Martene et Durand tom. VII, p. 4. cap. 40.

cum timore et tremore et rèverentia hoc faciant. Nullus ibi praesumat diabolica carmina cantare, non joca et saltationes facere, quae pagani diabolo docente adinvenerunt. Quis enim nesciat diabolicum esse et non solum a religione christiana alienum, sed etiam humanae naturae esse contrarium ibi cantari, laetari, inebriari et cachinnis ora dissolvi et omni pietate et affectu caritatis postposito quasi de fraterna morte exsultare, ubi luctus et planctus flebilibus vocibus debuerat resonare pro amissione chari fratris?" Et deinde: „Ideo talis inepta laetitia et pestifera cantica ex auctoritate dei penitus interdicenda sunt; si quis autem cantare desiderat, Kyrie eleison cantet; sin aliter, omnino taceat. Si autem tacere non vult, statim ab omnibus banniatur vel adjuretur, ut non habeat ibi licentiam amplius consistere, sed recedat et ad propriam eat mansionem; in crastinum autem taliter coerceatur, ut ceteri timeant".

Docent autem exempla ac testimonia, quae huc usque allata sunt, serioris tantum temporis usum; corpora enim humantur, neque Attila quidem, quamvis in strava collocatus, crematur. Morem igitur antiquiorem simulque simpliciorem, quamvis bis cantari videatur, exhibent versus ultimi carminis illius praestantissimi anglosaxonici de Beovulfo, qui de ejus sepultura agunt. Exstruitur rogus atque incenditur; jam regis comites (v. 6291 sq.)

hygu unrôte,
môdceare mændon mondryhtnes cvealm;
svylce geómorgyd lat — [1]

Versus sequuntur aliquot qui mutilati sunt. Postquam autem regis cineres multis cum thesauris tumulo condiderunt, hunc duodecim viri nobiles circumequitant cantumque denuo tollunt laudantes regis virtutem ac strenuitatem, ut id decuit,

svâ hit gedêfe bidh,
thät mon his vinedryhten vordum herge,
ferhdhum freoge, thonne he fordh scyle
of lichaman, læne veordhan [2].

[1] Mente tristes, animo moesti memorabant domini mortem; etiam lugubrem cantum aut planctum cet.; nam conf. Beov. 2228, ubi incenso rogo, quo filius impositus, Hildeburga „gnornode, geómrode giddum"; et Andr. 1548 geómorgid vrecan planctum, proprie lugubrem cantum, movere.

[2] Videntur hi tres versus spurii.

svâ begnornodon Geáta leóde
hlâford leófne heordhgeneátas.
cvædon thät he være voroldcyninga
manna mildust and monthværust,
leódum lîdhost and lofgeornost[1].

Quem honorem, quoniam est simplicissimus, ex vetere patrum instituto hoc loco regi mortuo tribui nemo non videt; neque dubito quin iste mos, quem postea paulo mutatum et auctum esse animadvertimus, etiam Taciti aetate inter Germanos viguerit. Nam licet hoc sumamus, Germani igitur ejus quoque tempore similia ac illi Beovulfi comites cecinerint, tamen utique jure eos, postquam rogo certis quoque lignis structo armisque cuique et equo adjectis corpora suorum cremaverint, sepulcro[2] denique caespite erecto, lamenta ac lacrimas cito, dolorem vero et tristitiam tarde posuisse dicere potuit. Feminis lugere honestum est, viris meminisse.

His vero, quae modo de funerum actione congessimus, ea, quae supra posuimus, egregie illustrantur. Fiebant enim illa similiter ac sacrificia ab electo aut certo hominum numero, quem chorum jure dicas, pompa aut recta via aut agmine flexo procedente. Carmina autem illa, quae de Theodorico Visigothorum rege, de Attila et de Beovulfo canebantur, ex tempore et subito facta esse debent. Neque eorum auctor alius esse poterat nisi dux agminis sive choragus, qui et praecentor et praesul; ceteri enim ea, quae canendo praeiit, repetunt, atque itidem ejus viam et motus sequuntur. Neque a vero aberrare nobis videmur, si choragum verum ac proprium antiquissimae aetatis poetam esse contendimus, neque ne in cujusquam, qui morem graecum meminerit, reprehensionem incurrere possimus, veremur si rem invertamus poetasque proprios ejus temporis choragos fuisse dicamus. Quos non solum illa *ἀυτοσχεδιάσματα* fecisse, sed etiam carmina, quibus in publicis actionibus utebantur, licet plerumque eo tempore antiquissima et a majoribus

[1] Ut id decet hominum quemque dominum suum amicum verbis extollere animoque carum habere quando is hac vita discedere et misere mori debet. Ita lugebant Gautorum (vel Jutorum) viri dominum dilectum contubernales. Ajebant eum fuisse inter omnes ejus aetatis reges virorum largissimum donis ac mansuetissimum, populo mitissimum laudisque vero cupidissimum.

[2] Goth. hláivs ahd. hlêo ags. hlâv = tumulus, collis et sepulcrum; cf. ahd. hôbburi Graff III, 167 a burjan erigere derivandum et altn. kuml sepulcrum, ahd. pichimpida funus, quae a kimban comere, ornare derivanda esse docet Grimmius ad Andr. 4, myth. 1200. 1201.

tradita esse perhibeantur, et immutasse, si opus erat, et auxisse verisimile est; quin et prorsus nova subinde eos excogitasse arbitremur? Verum etiam, si carmina illa de Attila, praesertim vero illud de Beovulfo, cujus argumentum fere refertur, spectamus, eorum sententiae, ne dicam verba, quibus virtus ac fortitudo viri in universum laudatur, diuturno usu quodammodo fixae et fere vetere consuetudine videntur sancitae. Eadem sunt et antiquissima, quae supersunt, exempla breviorum illorum carminum, de quibus supra saepius disputavimus.

CONFERANTUR: pag. 10 lin. 11, quae Sozomenus hist. eccl. 6, 37 narrat de *ξοάνῳ ἐφ' ἁρμαμάξης ἑστῶτι*, quod Athanaricus judex circumvehi et Gothos christianos precibus ac sacrificiis venerari (*προςκυνεῖν καὶ θύειν*) jussit. — : pag. 11 lin. 19 goth. gôljan salutare, quod a galan, praet. gôl canere (ags. gôl cantilena) derivatum est. —

DELEAS quaeso pag. 7 lin. 6.: sumamus et leviora quaedam typothetae peccata p. 10, 16. corrigas.

Scripta … ce-
lebrandae au… ionis
publicae com… erè-
nissimi. Ej… Sep-
tembris hora … ltore
suo vota pre… fre-
quentes adess… gios
et urbicos M… ives
academiae Hu… ea,
qua decet, ob…

